

XLIII BAXTERI PRAEF

quaerat aliquis, quid a me commissum? Di-
cam quod res est. Anacreontem, scriptorem
Graecum, tuae Prouinciae hominem, ausus
sum interpretari, emendare, et in lucem edere.
Illud mihi nocuit vnicet. Quis enim ego qui
messi tuae meam immitterem falcem? Paucula
quaedam, fateor, a vicesimo pene anno in per-
elegantem istum scriptorem subnotaueram, id-
que vacuis tantum horis, quantum scilicet li-
cuit per negotiola: haec aliquanto post, preci-
bus vnius vel alterius amici adductus, publici
feci iuris. Per pauca, inquam, illa fuerant,
quaeque orae mei codicis illeueram: neque
enim vel vacabat, vel libebat, ut in Professo-
ria Pergula, per scriptores omnes euagari; ne-
que fane, si illud contigisset, ut gloriosulus
merces meas omnes in publica explicuisse
facie: alia nobis mens, consilium aliud; quip-
pe quibus haud incompertum foret, eiusmodi
Commentariorum sarcinas cordatis omnibus
magis oneri, atque odio fore, quam vel vsui,
vel oblectamento. Evidem perlegi *μακρὸν*
tuum *λυρόν*. Anacreontis vitam ipse appellas.
Quem omnes nouere, ut Tyrannicae Aulae
Comitem, et corruptum, et vinosum, et mol-
lem, hunc tamen tu et pudicum, et sobrium,
et quantius pretii homuncionem, si diis pla-
ceret, nobis propinas. Dixisses illum et genere
clarum, et potentum gratia nobilem; ingenio
etiam facili, et perquam amoeno, vrbanum,
atque liberalem; neque me, neque quenquam
alium